Soc. Jesu Patrum Crac. Conclusiones ex universa Theologia.

CONCLUSIONES EX VNIVERSA THEOLOGIA.

De DEO VNO & TRINO.

I.

DEI existentia est demonstrabilis à posteriori tantùm. Primo-essentialis conceptus Dei formalitèr ex modo nostro concipiendi consistit in ratione Entis à Se. De Natura Divina & Relationibus ad intra, quæ identificantur realitèr immediatè cum Natura, verificantur prædicata contradictoria primointentionalia, & in ... reali. Ad quæ verificanda non sufficit pura Rationis Distinctio, nec distinctio Formalis ex natura rei Scotistica, aut virtualis Thomistica.

II.

Distinctio realis mediata seu extensivè inadæquata inter Naturā & Personas Divinas datur. Rectè vocatur realis in tertio, & virtualis intrinseca. Est sufficiens ad salvanda prædicata contradictoria, à parte rei juxta fidem verificabilia de Natura & Personis Divinis. Vi ipsius salvatur in Deo nullam dari ipsiusmet Naturæ secundùm se acceptæ distinctionem & pluralitatem. Fundat Præcisiones Objectivas inter illas tantùm formalitates, inter quas ipsa datur. Hinc Essentia & Attributa Divina solùm præscindunt formaliter ex parte actûs.

III.

Nvlla creatura potest videre Devm comprehensivè; nulla potentia materialis potest elevari ad videndum Devm immediatè; nulla est possibilis substantia creata, cui sit connaturalis visio Dei, immediata. Species Impressa clarè repræsentativa Dei non datur in beatis; est tamen possibilis. Lumen Gloriæ est causa immediata partialis efficiens cum intellectu Visionem Dei. Impossibile est videri Essentiam divinam sine Personalitatibus vel attributis, vel è converso; aut vnam Personam sine alia.

IV.

Scientiæ Divinæ Objectum Formale est sola Essentia Divina. Creaturæ possibiles cognoscuntur à Deo tùm in seipsis, tùm in Omnipotentia Dei. Libera absolutè futura cognoscit Deus ab æterno infallibilitèr, & determinatè per scientiam Visionis: Non videt verò ea in vllo Prædicato suo necessario & absoluto; Neq; in Decreto Prædeterminativo, aut Prædefinitivo efficacitèr ante Scientiam Mediam; neq; in Causis secundis liberis quomodocunq; prædispositis. Sed potiùs cognoscit illa in seipsis, quatenus pro sua differentia temporis coëxistentibus Divinæ æternitati.

V.

Vltra Scientiam simplicis intelligentiæ & visionis, dari in Deo Scientiam certam & infallibilem actuum nostrorum liberorum, sub qualibet indifferente conditione possibili, futurorum, certum est ex Scriptura, SS Patribus, & ratione. Hæc Scientia rectè dicitur Media inter Scientiam simplicis intelligentiæ & visionis strictè & propriè sumptas. Per illam cognoscit Devs libera conditionatè futura immediatè in se ipsis, independentèr ab omni decreto absoluto ex parte actûs, conditionato ex parte Obiecti.

VI.

Volvntas Divina pro obiecto formali motivo adæquato habet solam Bonitatem Increatam Divinæ Essentiæ. Actus Dei Liber sumptus materialitèr quoad formam volendi, aut nolendi, adæquatè identificatur soli Deo: si accipiatur formalitèr in ratione liberi, & contingentèr applicati, vel contingenter non applicati, necessariò intrinsecè constitutivè compleri debet aliquo creato positivo, vel negativo; ita, vt implicet illum constitui aut per contingentiam solùm æquivalentem, aut per terminationem ad extra solùm virtualiter distinctam ab Essentia Dei.

VII.

Providentia Dei essentialitèr constituitur tàm per actum intellectûs, quàm per actum voluntatis. Exercet eam Devs de omnibus contingentibus per vnicum ex parte recti actum liberum, loquendo obiectivè tam realiter, quàm virtualiter intrinsecè. Prædestinatio electorum ad gloriam formalitèr ex parte obiecti, nec est ante, nec post prævisa absolutè merita, sed simùl cum visione absoluta meritorum; cæterùm formalitèr ex parte actûs apprehendentis Divinam volitionem de danda gloria instar volitionum creatarum. Prædestinatio potest esse & ante & post iuxta diversum modum concipiendi divina instar creatorum.

VIII.

Trinitas Personarum Divinarum est supra, non contra lumen Naturæ. Personæ Divinæ vt distinctæ à Deitate dicunt ratione sui aliquam perfectionem per se æstimabilem. Nulla datur in Deo Subsistentia absoluta Physicè communis tribus Personis Divinis. De Fide est solum Filium in divinis generari; eius ratio probabilitèr hæc est, quòd solus Filius procedat in similitudinem naturæ Patris. Verbum Divinum per se procedit ex cognitione Essentiæ, Attributorum, & omnium purè possibilium, non autem contingentium. Si Spiritus S. non procederet à Filio, non distingueretur ab illo.

De ANGELIS & ACTIBVS HVMANIS.

IX.

Angelos existere fides docet; ratio naturalis Metaphysicè non demonstrat. Sunt Substantiæ creatæ, completæ, Spirituales, intellectivæ, substantialitèr simplices, incorruptibiles ex Natura rei, & non præcisè ex voluntate Dei. Implicat tamen Angelus, qui essentialitèr ex magnitudine suæ perfectionis nec divinitùs sit destruibilis. Datur inter Angelos specifica diversitas. Imò probabilius etiam numerica intra eandem speciem.

X.

Intellectus Angelicus ad omnium rerum à se distinctarum cognitionem indiget speciebus impressis, quas non accipit ab Obiectis, sed initio suæ creationis à Deo concreatas habet. Non repugnat Species Vniversalis in repræsentando. Imò defacto eiusmodi species dantur. Et quò Angelus est perfectior, eò per vniversaliores Species obiecta intelligit.

XI.

Angelus Naturæ suæ relictus Devm non potest cognoscere intuitivè clarè, potest ænigmaticè. Secreta cordium non potest certò cognoscere absquè consensu elicientis illa. Similitèr Futura libera antequam existant. Præterita tamen ordinis naturalis, quæ non involvunt cordis secretum, immediatè in seipsis ab illis posse cognosci est probabile.

XII.

Non discurrit de evidentibus, de obscuris tamen, qualia sunt supernaturalia, futura libera, arcana cordium, benè potest discurrere. Locutio Angelorum adinvicem fit per liberam Ordinationem proprij conceptûs ad audientem; non autem per productionem de novo speciei impressæ in audiente, aut per signa materialia: per signa tamen spiritualia potest probabilitèr hæc locutio fieri.

XIII.

Voluntas illorum Physicè & ex natura sua non est immutabilis: Moralis tamen inflexibilitas voluntati Angelicæ non neganda videtur. Poterant peccare in primo instanti suæ productionis, loquendo de potentia peccandi physica, non solùm in statu elevationis, sed etiam in statu puræ Naturæ relicti.

XIV.

In primo instanti Creationis omnes Angeli habuerunt Gratiam tam Habitualem, quàm Actualem. Ad habitualem probabiliùs disposuerunt se per actum supernaturalem dilectionis Dei super omnia, meritorium gratiæ & gloriæ solùm de congruo. Sequentibus tamen instantibus meruerunt augmentum vtriusq; de condigno. Probabiliùs est Gratiam Habitualem, imò etiam gloriam collatam esse Angelis inæqualiter cùm quadam proportione etiam ad ipsorum naturam.

XV.

Finis Vltimvs, ad quem creatura rationalis actiones suas referre debet, est Beatitudo: quæ Obiectiva est solus Devs. Formalis primariò ac primoessentialiter constituitur Visione Intuitiva Dei; licet in amore amicitiæ ac fruitionis summi Boni secundariò consistat: nullatenùs tamèn in amore concupiscentiæ essentialitèr potest consistere.

De PECCATIS & GRATIA DIVINA.

XVI.

Peccatvm quatenus est malum morale, definitivè est Exercitium libertatis disconveniens Naturæ rationali quà tali, disconvenientiâ proximè ortâ ex actuali libera voluntatis contraventione, practico dictamini conscientiæ proponenti hanc disconvenientiam. Theologicum requirit advertentiam ad offensam Dei; sine qua non erit formalitèr Offensa Dei. Possibile proinde est peccatum purè Philosophicum.

XVII.

Malitia moralis peccati Actualis Commissionis formalitèr consistit in positivo. Differentia inter Mortale Theologicum & veniale, est, quòd in Mortali sit Dissonantia ad Naturam rationalem, orta ex contraventione voluntatis perfectè liberæ dictamini practico, hoc est contra legem Divinam prohibentem graviter, aut imperantem actionem: secus accidit in veniali.

XVIII.

Peccatum Mortale Habituale, in statu præsentis elevationis ad finem supernaturalem, non consistit in negatione Retractationis, vel Carentia Divinæ Condonationis, nec in Actione peccaminosa præterita manente per modum præsentis vi suarum Causarum conservativarum moraliter: Sed formalitèr & intrinsecè constituitur Actu peccaminoso Physicè præterito, & Privatione Formæ Sanctificantis, quatenus inducta demeritoriè per Peccatum præteritum.

XIX.

Peccatum similitèr Originale consistit formalitèr adæquatè tàm in ipso Peccato Actuali Adami, ipsi Physicè, nobis verò moraliter voluntario, quatenus ratione Pacti cum Adamo initi per viam generationis naturalis in nos derivato; quàm in Privatione Gratiæ Sanctificantis, tanquam in ipsius effectu.

XX.

Gratia Divina, prout à Patribus contra Pelagium asserta, descriptivè, est Donum Supernaturale ex Meritis Christi Creaturæ rationali à Deo conferibile ad finem Beatitudinis supernaturalis Ordinatum, & necessarium. Sic explicatam Gratiam dari est de fide.

XXI.

Excitans seu Operans adæquatè consistit in sancta illustratione intellectus, & pia affectione voluntatis. Quæ præter Causalitatem Formalem Moralem in actus salutares, adhuc propriè Physicè & immediatè influit in eosdem simul cum voluntate. Causa adæquata actuum supernaturalium non est sola Gratia Adjuvans, sed etiam ipsa voluntas creata, ita vt vtraq; immediatè per seipsam concurrat ad eosdem actus.

XXII.

Gratia Efficax in Actu primo spectata, secundum quod dicit pro materiali, est ipsa Entitas auxilij prout operativa effectus gratiosi. Si autem spectetur formalitèr, quatenus hæc infallibilitatem importat, præter Entitatem auxilij secundum se intrinsecè insufficientis ad [illegible] quò consensum nostrum conditionatè futurum per scientiam mediam prævisum.

XXIII.

Hinc Gratia quatenus efficax, non consistit in vlla Prædeterminatione Physica, aut in Decreto Divino antecedenti aut concomitante Absoluto eius efficaci, quo Deus decernat, independenter à prævisione liberæ cooperationis per Scientiam mediam, effectum infallibiliter futurum. Nec in Excessu Vocationis supra tentationem oppositam. Nec denique in tali Auxilio, quod possit operari, vel non operari; nihilominus tamen infallibiliter de se, & ex suis intrinsecis sit operaturum; sive necessitatè essentialiter connexum cum vna parte electionis determinatè sumpta.

De FIDE DIVINA.

XXIV.

Fides Theologica promiscuè tàm pro Actu, quàm pro Habitu sumitur, estq; vel Actus, vel Habitus assentiendi Deo loquenti, propter authoritatem eiusdem, ita vt credatur, non solùm id quod dicitur ab eo, sed etiam ideo, Quia dicitur. Præter Motivum [illegible] debet Motivum distinctum, quod sit ratio formalis ipsiusmet assensus Fidei Divinæ.

XXV.

Nihil fallibile & creatum potest esse totale, vel partiale Motivum Intrinsecum Fidei Divinæ. Hinc nec Authoritas Ecclesiæ humana, nec Extrinseca Dei revelatio, nec veritas credibilitatis sumpta, tam præcisè secundum se, quàm cum præsumente Authoritate Dei, potest movere formalitèr ad assensum Fidei.

XXVI.

Deitas, vt ab omnibus Attributis, omnibusq; ad veritatem respectu præcisa. Fidelitas Dei, supposito, quod distinguatur ab Attributo veracitatis Dei. Omnipotentia, aut supremum Dei Dominium, Fidem non formalisant.

XXVII.

Potius igitur Revelatio Dei activa, seu Locutio Dei interna. Veritas item prima tam in dicendo, quàm in cognoscendo, sunt Motiva partialia formalia Fidei Divinæ. Vnde [illegible] ipsius Fidei Divinæ, circa aliquod determinatum Mysterium, Est ipsa veritas Divina Revelans, seu Quia aliquid ille, qui nec falli potest essentiam, nec fallere potest, revelavit.

XXVIII.

Quando attentis omnibus circumstantijs, prudenter iudicari potest, & debet, miraculum aliquod deservire ad confirmationem doctrinæ falsæ, tunc illud non potest fieri à Deo, sive per se solum, sive interveniente alicuius Instrumenti Creati, quamvis dicat falsum Minister, fieri illud à Deo, vt confirmetur aliquod dogma falsum.

XXIX.

Hinc Devs, non potest esse Causa per se erroris, tam actualis, quàm Habitualis, neq; totalis, supposito, quod fit possibile actum vitalem erroris produci ab Extrinseco, non concurrente Potentia vitali; neq; partialis, producens errorem ex intentione cum Creatura Rationali, sive moralis, sive Physica, sive immediata, sive mediata, intendens decipere Creaturam Intellectualem per seipsum, aut per alium.

XXX.

Veritates, seu apparenter revelatum, non potest esse Objectum Fidei Divinæ. Possunt autem credi fide Theologica proximè revelatum, virtualiter revelatum, [illegible] revelatum, velatum implicitè, quando de continentia illius in explicitè revelato constat certitudine sufficienti. Proinde de Fide est hunc numero summum Pontificem Innocentium XI. esse verum ac legitimum Christi in terris Vicarium.

XXXI.

Non implicat Objectum cognitum per actum Physicè, vel moralitèr evidentem, credi simul per actum Fidei Divinæ, imò & illud, quod est evidens Metaphysicè, evidentiâ, tam inferiori, quàm supremi generis. Cognitum item per opinionem radicalitèr formidolosam, loquendo absolutè potest simul substare actui Fidei Divinæ, non tamen cognitum per cognitionem actualitèr formidolosam.

De IVSTITIA.

XXXII.

Iustitia supponens pro hac, quæ est vna è Cardinalibus quatuor virtutibus, est virtus specialis essentialiter ad alterum. Objectum illius Materiale proximum, sunt Actiones, tam internæ, quàm externæ, quibus tribuitur alteri, quod suum est. Formale, est æqualitas moralis, cum iure alieno. Medium eiusdem, est Medium rei.

XXXIII.

Dominium rei eiusdem, plenum, intrinsecum, & absolutum, possibile est in Creatis penes duos, in eodem instanti donationis & acceptationis. Potest distingui dominium, ab eo iure, quod vsus est consumptibilium. In Deo non datur rigorosa iustitia respectu creaturæ.

De INCARNATIONE VERBI DIVINI, & PRETIOSISSIMA DEI MATRE.

XXXIV.

Incarnatio Divina à nullo creato intellectu evidenter naturalitèr cognosci potest. Est conveniens tam Negativè, quàm positivè, respectu Dei, Naturæ humanæ, totius vniversi. Devs ante omne liberum decretum, nullo modo necessitatur ad Optimum extra se, ac proinde nec ad ponendam Incarnationem. Imò hunc non tenebatur decernere etiam ex suppositione peccati; sive tollendi; licet ex suppositione volitæ condignæ satisfactionis necessaria fuerit aliqua Vnio Hypostatica.

XXXV.

Peccatum Mortale Theologicum, etiam sub conceptu Personalis offensæ spectatum, non est simpliciter intrinsecè infinitum. Adhuc tamen nulla pura Creatura potest condignè & adæqualitatem satisfacere pro offensa Mortali Personali Theologica: imò nec potest mereri remissionem peccati mortalis. Licet possit purus homo condignè satisfacere tùm pro peccato Philosophicè gravi, tùm pro iniuria reali quà tali orta ex Mortali Theologico.

XXXVI.

Satisfactio Christi Condignitatem habuit ex se ipsa in actu primo. In actu secundo requisivit acceptationem Dei tanquam meram conditionem. Vnde valor satisfactionis & Meritorum Christi in actu primo, independenter ab omni acceptatione Divina, est intrinsecè simpliciter infinitus tàm intensivè, quàm extensivè. In actu verò secundo infinitus solùm intensivè.

XXXVII.

Incarnationis à Deo decretæ fines partiales fuerunt, Excellentia Christi, Perfectio Vniversi, Dignitas Capitis, & Remedium peccati. Hinc Adamo non peccante ex vi præsentis decreti Christus non venisset. Porrò Christus est decretus simul, etiam virtualitèr intrinsecè, cum permissione & prævisione absoluta peccati, loquendo ex parte Objecti; secùs ex imperfecto modo concipiendi. Cæterùm hæc prioritas rationis, est inutilis ad concludendas veritates reales quales sunt; Christus venisset vel non, Adamo non peccante; prima Gratia data est Angelis & hominibus ex meritis Christi, & similes.

XXXVIII.

Vnio Hypostatica est Entitas Modalis, Substantialis, Supernaturalis, intrinsecè constitutiva denominationis Vniti, etiam in abstracto Sanctificans Humanitatem formalitèr in suo genere. Humanitas Christi ex vi Vnionis Hypostaticæ, Physicè, formalitèr, substantialitèr, immediatè Sanctificatur Sanctitate Increata Verbi, etiam prout distincti virtualitèr à Deitate: à Natura verò Divina nonnisi mediatè. Hinc Humanitas Christi immediatè ratione vnionis Hypostaticæ est absolutè impeccabilis, tàm in sensu Composito, quàm in sensu diviso, pro instanti reali Vnionis; licèt, loquendo de potentia absoluta, non repugnet à Verbo assumi Humanitatem quæ ante Vnionem peccâsset, aut post destructionem Vnionis peccatura esset.

XXXIX.

Verbvm Divinvm immediatè assumpsit Naturam humanam solam & totam tàm essentialiter quàm integraliter. Potuit Divinitùs assumi Natura humana terminata per propriam subsistentiam, non assumptam. Possunt item omnes Personæ Divinæ simùl assumere vnam Naturam creatam, vel vna Persona plures Naturas; Defacto solum Verbvm immediatè assumpsit Humanitatem, & quidem secundum aliquid Relativum propriũ Personæ Verbi. Non implicat quamcunq; Naturam irrationalem etiam inanimatam immediatè assûmi à Persona Divina.

XL.

Libertas Christi in moriendo, quoad substantiam actûs, salvâ impeccabilitate, & admisso Præcepto rigoroso, non salvatur per impositionem præcepti post præconsultam Christi libertatem: nec per anticipationem mortis; nec per electionem aliarum circumstantiarum. Sed per hoc quia Christvs liberè voluit petere dispensationem in præcepto mortis, imposito sibi sub conditione, etiam quoad vim obligandi.

XLI.

Maria Virgo Beatissima in primo instanti suæ Conceptionis fuit Immacvlata: nec habuit proximũ debitum contrahendi peccatum Originale. Est propriè Mater Dei. Maternitas ipsius est forma sanctificans. Ipsi ex natura rei debentur omnes Perfectiones concessæ cuicunq; creaturæ quandocunq; existenti. Valdè probabile est, quòd Gratia in primo Conceptionis instanti collata Dei-Paræ omnem omnium hominum & Angelorum gratiam collectivè acceptam superaverit.

De SACRAMENTIS.

XLII.

Sacramentvm vt sic, præter materiam & formam, intrinsecè etiam constituitur Ministri intentione saltèm virtuali; quæ vltimo resolutoriè vult productionem effectus Sacramentalis, ad exhibitionem talium signorum. Novæ legis Sacramenta defacto tantùm moralitèr causant gratiam in instanti intrinseco terminativo, si hoc datur: Imò etiam divinitùs non possunt eam causare physicè. Idem specie Sacramentum ex opere operato confert gratiam inæqualem inæqualiter dispositis.

XLIII.

Evcharistiæ Sacramentvm, intrinsecè importat Species Panis & Vini. Verba Consecrationis, Corpus & Sanguinem Christi, ac rationem formalem, quà Christvs est sub Speciebus. *Materia ipsius remota* est solus Panis triticeus vsualis, & Vinum de vite expressum vsuale, cui aqua admista in Calice, immediatè convertitur in Sanguinem Christi vi Verborum Consecrationis. Vsus passivus Eucharistiæ non est pars essentialis, imò nec integralis huius Sacramenti.

XLIV.

Poenitentia de peccato, est simplicitèr Virtus moralis, specialis, non tamen ex suo essentiali conceptu intrinsecè supernaturalis. Objectum eius formale adæquatum respectu actuum prosecutionis elicitorum est Bonum deletionis peccati vt assequibile per actus Pœnitentis. Vnde Pœnitentia est Habitus purè emendativus; purè reflexivus, non tamen purè fugitivus, nec formalitèr elicitivus odij & doloris de peccato vt peccatum est, per ly VT, reduplicando rationem formalem QVIA.

XLV.

Materiale objectum Pœnitentiæ sumptæ quo ad actus elicitos, sunt actus aliarum virtutum, conducentes ad deletionem peccati: sumptæ verò quò ad actum Retractationis à se imperatum, est omne & solum peccatum à propria voluntate Pœnitentis tractatum: sumptæ demùm quò ad actum displicentiæ dolorosæ, est etiàm peccatum originale, peccatum alienum, Privatio gratiæ, Reatus pœnæ temporalis.

XLVI.

Subjectum Pœnitentiæ, si Habitus supernaturales virtutum moralium realitèr distingvuntur à gratia habituali, non est Christus Dominus, nec Beatissima Virgo: sunt vero alij Beati. Quodsi prædicti habitus virtutum realitèr identificentur gratiæ tunc etiam in Christo & Beatissima Virgine admittendus habitus Pœnitentiæ; Nihilominùs adhuc tunc Christus & Beatissima Virgo non denominarentur ab Habitu Pœnitentiæ.

XLVII.

Defacto non datur vllus cumulus peccatorum qui non fit delebilis per veram Pœnitentiam; Nihilominùs possibile est aliquod peccatum essentialitèr & intrinsecè irremissibile, propter connexionem intentionalem cum decreto Dei de ipso non remittendo. Possibile item est vt sine vllo actu peccatoris fiat iustificatio completè & adæquatè sumpta: etiamsi iuxta præsentem Dei ordinationem secùs contingat in adultis.

XLVIII.

Contritio perfecta debet fieri ex motiuo charitatis: vnde est super omnia excessu appretiativo saltem virtuali. Est indivisibiliter detestatio formalis peccati, & expressus amor Dei. Magis detestatur peccatum proprium leve quàm alienum grave. Non est, simpliciter loquendo, forma iustificans peccatorem. Attritio orta ex solo timore pœnarum & turpitudine peccati est actus honestus estq; sufficiens ad iustificationem in Sacramento Baptismi & Pœnitentiæ.

XLIX.

Moralis permanentia peccati physicè præteriti, constituens peccatum mortale, in ratione habitualis, vniversaliter loquendo, pro quocunq; statu, est Privatio aptitudinis simplicitèr ad finem vltimum prout demeritoriè inducta per actum peccaminosum physicè præteritum. Hinc repugnat vt remissio peccati mortalis habitualis fiat per condonationem purè extrinsecam: vel vt gratia habitualis stet simùl cum peccato mortali; ac in ratione remissivæ compleatur per favorem Dei merè extrinsecum. Implicat etiam remitti peccatum mortale, antequam fiat, dum fit, aut vnum sine alio.

L.

Peccata semèl per iustificationem dimissa non redeunt per subsequens peccatum. E contra verò, merita per peccatum mortificata, per pœnitentiam iustificativam reviviscunt integrè cum tota gratia, ad quam ante peccatum fuerant acceptata à Deo. Pœna temporalis debita peccato mortali remisso aut debita peccato veniali etiam non remisso in hac vita, non fit æterna per accidens ex coniunctione cum peccato mortali finali.

A. M. D. G. I. V. M. H.

Defendentur publicè à PP. Societatis IESV, in Collegio Cracoviensi eiusdem Societatis. Anno 1683. Mense Iunio Die 14 Horis consuetis.

CRACOVIÆ, Typis Francisci Cezary S. R. M. Illustr. ac Reverendi. Dñi. Episc. Crac. Ducis Severiæ, Necnon Schol. Novoduorsc. Typogr.

Varia
Impressa

25 Iunii 1683
rursus innouata
disputatio 9na

Varia
Impressa
Plica 9na sub I.